

misc. 5, 6ⁿ.

163

- Disputationes hinc Syllago intexte, et Prædictæ
 Wernsdorpi defensio haec sunt
 1. De ab solitudo Ministeri sufficiencia non mercedeclarativa 1736.
 2. De ab solito predicto ad seculum decretos vera solidasq; solaq; impudentia 1726.
 3. De ab solito predicto ad seculum decretos vera solidasq; solaq; impudentia 1726.
 4. De ab solito predicto Morali coquie Theologico 1725.
 5. De diadentur te vel non id luc^{XXII}. 25tq; ill. Matth^{XXIV}. 27q; 1725.
 6. De diadentur te vel non id luc^{XXII}. 25tq; ill. Matth^{XXIV}. 27q; 1725.
 7. De anima Separataq; Stato eademq; cum versione marco^{III}. 24 t¹⁷¹¹
 8. De doctrinalia fidei ad Rom^{XII}. 6. a Novumentis levibusq; 1712.
 9. Antithpolgia Salomonica ad Eccl^{VII}. 29. 1720.
 10. De Antonomia Recencionis quodcumque 1735.
 11. De libris Antiyanis de vero christianismo 1714.
 12. De Baptismi christianorum origine mere divina 1710.
 13. De Recencionis by de Baptismate Controversia 1708.
 14. De novi Boni operis in Iustificatione fidei Sunt plentia 1717.
 15. Exploratio Spiritus Brevidianus 1717.
 16. De Taronum meritis in priuorem doctrinam Christi restituendam 1717.
 17. De Reformati Justitiae liniæ Doctrinæ fidei Augstæ 1722.
 18. De laicis Turbarum in Sulevia 1723.
 19. De Cœsiū losani Ottavia Augstæ 1693.
 20. De Christo cœsiū sine exemplo hominum 1706.
 21. De Christo cœsiū sine exemplo hominum 1706.
 22. Nonnulla de Circumcisione Segneta 1735.
 23. Dissensio inter definitorum et Lutheranos. Actus de Scenaria fundamen^{tales} 1705.
 24. In die cuius Blentia orthodoxa de superiori aqua p^{ri}ori 1706.
 25. Recensionis post error 1706.
 26. Recencionis de locis Domini Controversia 1710.
 27. Quales et quantum sit desperatus in articulo de S. Elena inter re
 formatorum et Lutheranorum 1726.
 28. De Communiione Dei et hominum 1712.
 29. De Communiione fidelium in Deo et inter se 1709.
 30. De contraintatione Spiritus obligatorius ad ipsius IV. 30. 1705.
 31. De Hylotheo suo Iste sive super fanaticarum creaturarum despicere 1713.
 32. De duobus et offensu a filio Duobus exposito 1717.
 33. De domini Nominis odiosis ad Deut. XXIII. 28 1707.
 34. De syngesi et novissimis ad 2 Thess^{II}. 10, sc. 1716.
 35. De 271. et 272. Europa leia 1710.
 36. De explicatione sua q^{ui}rig fidei ad 2 Cor^{XIII}. 5. 1701.



2

COLLEGII THEOLOGORUM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
h. t.
DECANUS
GEORG. FRIDER.
SCHROEER
S. S. Theol. Doctor, Ejusdemque Prof. Publ.
& Alumn. Reg. Ephorus
LECTURIS SALUTEM PLURIMAM
DICIT.

CHRISTIAN THEODOR VI
AGDRIK ALTEBRUGGIUS
GEORG BRANDT
SCHROEDER



astum admittunt nefas, qui Vi-
rum vel de tota Republica,
vel speciatim de Ecclesia bene
meritum laude debita ac sa-
tis idonea fraudare conantur.
Magnam laudem tribuerunt
merito Patres, speciatim Mar-
tyribus Cyprianus, Caecilio, Athanasio, Basilio
M. Nazianzenus, huic Theologo Gregorius Pres-
byter, Hilario Fortunatus, Paulinus Ambrosio, &
reliquis Eusebius, Epiphanius, Theodoreetus, Hie-
ronymus, Photius, hisque Doctores alii, quorum
tamen nonnulli vera miscuerunt falsis, & verbis
aliorum commentitiis fidem adjunixerunt. Viti-
um vero non concipiunt, qui contra adulatores,
nihil ad veritatem loquentes, dicunt, doctrinae,
quam dissentientes oppugnare student, veritatem
defendunt, ac famam, quam lacerant, aliorum diu
collectam conservare contendunt. Arnoldum
quidem gloria & praedicatione effert vitae ejus

) 2

cur-

curriculi laudator, eumque vocat terrae Lumen ac
Salem, sacri coetus Custodem & Vigilem, Magis-
trum Deo gratum ac acceptum, Christianismi
veri & antiqui Restauratorem ac Virum tanta vi-
tae sanctimonia conspicuum, ut omnibus, qui Christum
noscitant & colunt, & sit notissimus & ab
illis honore afficiendus. Quoniam vero haec va-
na Glorie persuasio est, quae neque Viri istius di-
gnitate, nec doctrinae ejus puritate innititur, The-
ologi veri & orthodoxi, qui sentiunt, Arnoldum
veritatem deseruisse, idolatriam Gentilium pro-
pagasse, & Trinitatem Dea, quam Sophiam voca-
vit, auctam coluisse, ejusque opiniones, a Verbo
Christi alienas, refutant argumentis, committunt
nihil, quo vel in seipso Dei odium concitabunt, vel
cujus causa in judicio ultimo aspectus Arnoldi, ut
Epitaphii ipsius auctor opinatur, ipsis terrorem in-
jicit. Scipio Africanus, in exilium depulsus, no-
luit, teste Livio, ut funus in ingrata fieret Patria.
Si Scipio esset in vivis, & Arnoldi legeret convitia,
quibus hanc Academiam, bonarum, quas ista in-
terprete percepit, artium matrem consecratus est,
procul dubio diceret, non mereri Arnoldum, ut
ejus memoria cum charitate usurparetur. Au-
gustinus meritam gratiam debitamque retulit Ma-
tri Monichae pro cura & precibus, quibus, a Ma-
nichaeorum amplexu avulsus, Ecclesiae verae &
Chri-

Christianae restitutus est. Arnoldus, rerum a se
gestarum testis, non multum tribuit Patri, qui
filium ideo Doctoribus hujus Academiae tradi-
dit, ut animus ejus & optimis artibus & saluber-
rima Christianae Theologiae doctrina imbueretur.
Gentiles, naturae ductu instigati, Parentum instar
observerunt & dilexerunt suos Praeceptores, a
quibus recte vivendi rationem acceperunt. Do-
ctores suos coluerunt quoque & venerati sunt
Christiani. Justinus laudavit Senem, cuius collo-
quio ad Christi fidem conversus est ; Tatianus
tamdiu addictus fuit Ecclesiae, quamdiu in vivis
fuit Justinus, ejus Magister ; Senex, quem Hierony-
mus vocat Papiam, fuit apud Irenaeum, suum di-
scipulum, semper in honore ac pretio ; Clemens
Alexandrinus fecit magni Pantaenum, cuius fuit
Auditor ; Origines amavit valde Ammonium,
& Cyprianus tanto amore complexus est Caeci-
lum, cuius studio factus est Christianus, ut non
tantum Viri istius doctrinam suam fecerit ; verum
etiam cognomen eius postea sumserit ; Gregori-
us Tavmaturgus celebravit oratione laudem, sui
Praeceptoris, Originis, & Didymi Alexandrini no-
men illustrarunt ejus Auditores, Ruffinus & Hie-
ronymus ; ab Arnoldo vero, qui ingrati hominis
est exemplar, sunt nomina Doctorum, quos in hac
Academia nactus est, ideo memoriae & literis pro-
dita,

dita, ut in Viros, laude nostra majores, & Pietista-
rum contumeliis vexatos, maledicta diceret, to-
tamque hanc Academiam in contemptionem ad-
duceret. Philosophis putat esse criminosum, in-
vitasse suos Auditores ad summos in Philosophia
honores capessendos, sibique ipsi vertit vitio, quod
istam dignitatem, quam vocat ambitionem, sibi, ad
majora nato, non convenientem obtainuerit. Hoc
Arnoldus, ejusque laudator non dixissent, si ani-
mos ab opinionibus Carolostadii, Anabaptistarum,
VVeigelii & reliquorum Fanaticorum vacuos ad
dictum vitae curriculum recte describendum at-
tulissent. Licet Christiano non sine commodo
Ecclesiae summos dignitatis gradus adipisci, &
absque ambitionis vitio tam Magistri, quam Do-
ctoris titulum sustinere. Deus ipse distinxit An-
gelos amplissimis nominibus, & Christus colloca-
vit ex ordine Ecclesiae ministros, cujus causa Apo-
stoli Episcopis a se constitutis, Episcopi vero Dia-
conis, ordine & honoris gradu fuerunt superio-
res. Si varia dona Spiritus S. inter homines, spe-
ciatim Doctores, haut pariter ac aequaliter distri-
buit, unus alteri doctrina & ingenio excellit, &
Prudentioribus Ecclesiae curatio rerumque sacra-
rum moderatio committuntur, justum, &c, ut dici-
tur, aequum, & bonum est, Viros doctos & cele-
bres, sicut officii dignitas & famae amplitudo po-
stulant,

stulant, magnis ornare titulis, ut reliqui, odio in
ignaviam concitato, magno erga virtutem a-
more flagrent, & arduum ac cum labore ad
veram Pietatem directum iter, alacres & lae-
ti ingrediantur. Verborum quoque contu-
meliis lacerarunt Theologos dicti Fanatici, qui
nostram Theologiam, ex Verbo divino hau-
stam, dixerunt vulgarem & Scholasticam, eamque,
vere Practicae postponendam, levem ac inanem
existimarent. Istam vero Theologiam pro nihilo
putavit Arnoldus, a nostra Academia & Fide Lu-
therana abstractus, quam divus Apostolus, a quo
nos dissentire nullus unquam probavit haereticus,
σοφίαν Θεού εὐ μυστρέω, λόγου σοφίας, γνῶσιν τῆς σωτηρίας, θεοδιδασκαλίαν, ἐπίγνωσιν ἀληθείας τῆς κατ' ἐυσέβειαν nominat. Theologia
Arnoldi vere practica est Theologia mystica, Do-
ctrina Chaldaeorum, Aegyptiorum & Graeco-
rum, Cabbala Judaeorum, ac Fanaticorum Theo-
sophia. Theologiam mysticam respuit Theolo-
gia, sacris consignata literis, quam in omnes suas
quasi partes accurate 2. Tim. III. distribuit divus
Paulus, Theologus exquisitus & absolutus. Nam
Theologia mystica est, teste Arnoldo, perfecta
& exquisita Dei cognitio, supra omnem sensuum
& mentis operationem, supra affirmationem &
negationem. Theologia Christi, Prophetarum
&

& Apostolorum transcendit quidem captum hum-
manum , omnemque naturae hujus ordinem , &
Scriptura sacra , divina virtute praedita , Deique
Gratia assistens , affundunt animis nostris , divina
Theologia imbuendis & multis errorum tenebris
involutis , lumen clarissimum ; ὅπ�ανα vero , quae
operationes sunt mentis , lectio nempe Bibliorum ,
meditatio , exercitatio & reliqua , non tantum sunt
utilia , verum etiam maxime necessaria bono Theo-
logo . Auditu egent homines , mortuis non dissimiles , quo verbi sonum accipiunt , & virtute ejus ,
qua pollet , divina a morte excitantur . Rom. X.
Christus , verae Theologiae auctor , imperat , my-
steria divina animo percepturos in meditatione
versari . Joh. V. Hoc Christi mandatum fecerunt
Berœenses , qui Theologiam studio Pauli inchoa-
tam lectione sacri codicis crebra & assidua perfec-
cerunt . Act. XVII. Hoc non decet unice illos ,
qui primum Fidei fundamentum ponunt , verum etiam
Doctores & Episcopos . Oportebat enim
Timotheum , Episcopum magnum & sacris lite-
ris eruditum , jussu & authoritate Pauli illam scruti-
tari Scripturam , qua Theologus , omnibus suis
partibus completus , unice constituitur . 2. Tim. III.
Constat vera Fides , qua semper felices unice redi-
dimur , ex notitia , assensu & fiducia , quae dona
quidem , divinitus nobis concessa , humanis non
com-

comparantur viribus, nulla vero absque mentis
operatione est rerum divinarum intelligentia, nul-
lus inter DEum & homines consensus, nullus de-
nique complexus, quo justitiam merito Christi pa-
ratam, tenemus, nostramque facimus. Theolo-
gia vere practica, quae actiones nostras dirigit &
moderatur, ac totam nostram vitam ad Pietatem
componit, absque mentis nostrae operatione nec
concipitur animo, nec motus corporis incondi-
tos ejusque affectus turbidos redigit in ordinem.
Arctam quidem hominum cum Deo conjunctio-
nenem verbis amplissimiis laudat mystica Theolo-
gia; viis vero, quas aggrediuntur mystici, nemo
se committat, qui DEO vult frui, eumque in-
tra se complesti. Prima, per quam Fanatici am-
bulant, via, dicitur purgativa, quam Pythagoro-
ras & Plato, Chaldaeorum & Aegyptiorum er-
roribus implicati, suis olim auditoribus, ut DEO
vel Geniis fierent similes, demonstrarunt. Haec
animae corporisque purgatio humanis fit viri-
bus, quibus Mystici omne vitiorum, ut inter se fa-
bulantur, genus exuunt, & cupiditates inordinatas
& incompositas restringunt atque comprimunt.
Alium ad Deum aditum ostenderunt nobis Christus,
sua nempe morte patefactum, sanctique Apo-
stoli, divino afflato concitati. Nobis enim, qui in

)(

sum-

summa rerum divinarum ignorantiae versamur,
& omnibus viribus, quibus carcer noster potest
oppugnari, destituimur, Verbi divini praefuerunt
lumen, quo DEUS nos regenerat, Rom. I. & non
puros & sanctos, sed peccatores, fide concepta &
merito Christi apprehenso, in numerum justorum
adscribit, Rom. IV. Hoc facto nobiscum vivit
ac habitat DEUS, Ephes. III. quo delectatur ho-
mo, qui ejus auxilio ea conatur moliri, quae sunt
honesta, & legi ipsius conformia, Gal. V. Secunda
Mysticorum via est unitiva, quam hoc modo ab-
solvi opinantur Mysticci. DEUS, dicunt, mentem
ideis vacuam sive cupidissimam obsidet quasi &
occupat, & in eam DEO simillimam ac deifica-
tam lumen infert clarissimum. Pelagio, seculo 4.
erroris condemnato, assentiuntur Fanatici, qui exi-
stunt, posse hominem, viribus naturae instru-
tum, sine Gratia DEI assistente mysteria animo
capere, servile peccatorum jugum dejicere, sequē
ab impetu affectuum vindicare ac liberare. Ea,
quae molitur homo, fide destitutus, non sunt ope-
ra bona Deoque accepta, sed actiones virtutis, a
Gentilibus quoque suscipienda, quanquam omni-
um Fanaticorum consensum & approbationem
mereantur. Via purgativa & unitiva parit con-
temptum Orationis, cuius Christus est auctor,

con-

Concionis sacrae, Poenitentiae, Fidei justificantis & Sacramentorum. Multi enim Fanatici putant, se longo mysticae Theologiae usu ac vitae sanctimonia, quam Christum vocant internum, tantam perfectionem consequutos esse, ut, se a rebus externis, speciatim Sacramentis, quibus rudes tantum inchoantur, perfici ac absolvant inficias. Ut totam Fanaticismi faciem in Theologia mystica, tanquam in speculo, intuemur: ita commune Fanaticorum principum, quod immediata est revelatio, via mysticae Theologiae tertia, nempe illuminativa, indicatur. Ut olim Theologiam Socrates, Pythagoras & Plato genio, ita suam Theosophiam debuit Arnoldus, quod vitae ejus curriculum demonstrat, non Scripturae Sacrae, quae istum ad DEUM tantum adduxit, sed DEO, luce sua immediate istum collustranti. Hoc principio innituntur Anabaptistae, Quackeri, Enthusiastae ac nostro tempore Inspirati, qui dixerunt palam, se doctrinam, quam sunt amplexi, ab ipsis accepisse, qui mysticae Theologiae sunt defensores. Sed mitto Arnoldum, hujusque commendatorem, optimum Arnoldi, qui perlectis his pictoris cuiusdam verbis: Fidei Fortitudo, si prius, dixit, ita sonarent verba: Fidei Sinceritas, seu Veritas, hujusque voti interpretem. Hic enim Arnoldum,

() 2

VVe-

VVeigelii virtute, spiritus nempe paupertate,
ornatum mundo emigrasse his verbis : Haec
orta sunt ex paupertate spiritus, indicavit.
Mitto, inquam, Arnoldum & Arnoldi Theo-
logiam mysticam, & absque verborum splen-
dore & copia commendo Candidatum nostrum
Amplissimum, Virum Maxime Reverendum &
Nobilissimum, Dominum M. HENRICUM
GOTTLIEBIUM SCHNEIDERUM,
hucdum ad aedem Paroch. hac in urbe Diaconum,
nunc autem Pastorem Luccavensem Primarium,
Scholae ejusdem Ephorum & designatum Consi-
stori Marchionatus istius Assessorem, in quo majo-
rem virtutum video copiam, quam in Arnoldo &
Mysticis errorum abundantiam. Hinc praedicatio-
ne merito effero animum ejus, literis divinioribus
recte imbutum, erga Parentes & Magistros suos
gratum, virtutibus ornatum Theologo dignis, &
ad veram Theologiam propagandam, DElque
Gloriam augendam, maxime propensum. Ut in
justam reprehensionem Arnoldi curriculum vitae
incurrit, ita omnium oculis expono curriculum
vitae Amplissimi nostri Candidati, curriculo vi-
tae Arnoldi merito opponendum. Nam ita de se
graviter loquitur Vir omnium laude dignissimus :
Ego,

Ego, HENRICUS GOTTLIEB SCHNEIDE-
RUS, ex inferioribus Saxonibus Halberstadiensis, fi-
lius sum JOHANNIS CONRADI, Doctoris Theo-
logi, aedis, quae Halberstadii est, Cathedralis, Pasto-
ris primarii, Reuerendi, qua puriora Lutheri dogmata
sectatur, Ministerii Senioris, & Lycei ad diuam Ste-
phani, Ephori, jam vero pie defuncti. Matrem ha-
beo, diuino consilio superstitem, ANNAM MARIAM,
ex honestissima *Landgrafforum*, quae quondam in il-
lustri ad Elmum Academia floruit, gente, oriundam.
A quibus Parentibus Anno MDCLXXXII. d. 12. Junii
in hanc lucem editus, omni animi cura ac solicitudi-
ne sum educatus. Initio quidem priuatis usus sum
Praeceptoribus, postea uero Lycei ad diuam Stephani
alumnus factus, sub diuersi ordinis Magistris, praeci-
pue tamen Schapero ac Cubelio, Rectoribus & ad tene-
ras mentes, bonis artibus formandas quasi natis, ty-
rocinia studiorum posui. Humanitatis literis ita ex-
cultus, a B. Parente ad illustrem hanc musarum se-
dem Anno MDCCII. Mensce April. studiorum causa,
missus sum, cum, quod ipse uel maxime doctrinae
puritate capiebatur, tum, quod haec alma Mater præ-
caeteris, se illi hac de causa commendare uidebatur.
Neque eum ab hoc proposito, prouinciae cujusdam
in Patria aliquando obtinendae, difficultas, hinc faci-
le resultanda, deterrire potuit, siquidem certo per-
suasus erat, si de doctrinae genere, filio bene prospe-
xisset, reliqua omnia secundum fortunae euentum,
natura esse. Qua in re spes ipsum non omnis fefel-
lit. Ab eo enim tempore, quo hic loci, bonarum li-
terarum studiis incubui, Doctores in omni eruditio-
nis

genere, inueni excellentissimos. Cum uero animus
omnino Philosophiae praceptoris erudiendus prius ac
quasi praeparandus esset, antequam altius illud Theo-
logiae studium aggredetur, initio Philosophiam in-
strumentalem ac transcendentalem, mox naturalem
& Mathesin, dehinc amplissimam illam partem, quae
de moribus & ciuitate praecipit, denique etiam lin-
guarum orientalium, antiquitatis & historiarum stu-
dium, ea qua potui animi contentione excolui, atque
in omni hoc doctrinae genere, duces celeberrimos,
B. Roebrenseum, Schurtzleischios, Roeschelium, & quos
hodie diuina gratia superstites ueneror, Schroeerum,
jam Doctorem Theologum, Vielmannshausenium, Ber-
gerum, Clausingium, aliasque plures delegi ac seftatus
sum. Quorum Virorum in me merita, ut nunquam
non grata animi significatione agnoscam, ita opera
illorum factum est, ut spatio aliquot annorum exple-
to, laurea Philosophica publice ornatus, Cathedram
superiorem concendere potuerim. Bis enim ex pru-
dentia morali, quinques uero ex Historia Philosophica
de Zoroastre, Magorum principe, difficili illo argu-
mento, publice differui. Verum cum arcano quo-
dam motu ad sacrarum literarum studia praincipue
excolenda ab ineunte aetate quasi incitarer, Theolo-
gorum scholas maxime frequentandas esse, duxi.
Qua igitur in re secutus sum *Deutschmannum, Hanne-*
kenium, Neumannum, vñ ev ἀγίοις, cuius postremi, do-
mestica imprimis institutione & consilio, per annos
octo & ultra usus, multa studiorum meorum incre-
menta cepi, tum uero etiam eos, quos Numen im-
mortale in Ecclesiae afflictæ solatium & Academiae
hu-

*12 Diacon
reliabilis*
12 Diacon

hujus ornamentum, quam diutissime saluos ac incolumes praestare uelit, *Loescherum Senorem*, ac *Wendorffum*. Neque sine secundo quodam uento, hi qualescunque mei conatus sunt suscepti. Cum enim Verbi Diuini Ministri, qui in aede ad arcem interest Sacris, uacaret locus, factum est, ut spartam hanc, non sine Superiorum suffragio, obtinerem. Nondum uero biennii spatium elapsum erat, cum relicta hac qualicunque statione, ad Diaconi, quem uocant, partes, in aede, hic loci B. Mariae Virgini dicatae, subeundas, denuo publice euocarer. Cujus officii rationes, pro ea, qua potui animi contentione, per integrum sexennium explore studui, neque ab hoc proposito destituisse, nisi supremo rerum humanarum moderatori aliter uisum fuisset. Hujus enim consilio factum est ac nutu, ut non ita pridem Senatus Luccauiensis, Pastoris ejusdem loci, primarii munus, quocum Scholae conjuncta est Ephoria, tenuitati meae publice riteque commiserit. Accedit, quod a Marchionatus hujus Proceribus, pro ea, qua pollent autoritate, ad Altefforis, ceu uocant, officium, in Senatu, qui Lubbenae habetur, Ecclesiastico, obeundum, communis omnium suffragio sim delectus ac designatus. Faxit Numen immortale, ut his muneribus ita praefim, quo singula in Nominis sui gloriam, Ecclesiae Auditorumque emolumentum, & denique mei ipsius salutem, quam felicissime cedant.

Quod hic Candidatus Optimus ab omni Fanaticismo sit alienus, non probant unice orationes ejus sacrae, ex divinioribus literis compositae,

tae, & nullis vel mysticorum verbis, vel loquendi formulis, quibus Pietismus potest propagari, contaminatae, verum etiam idem demonstrabit Candidatus, summo Theologorum honore Dignissimus, Oratione gravi de argumento illo, a non nemine nuper in dubium vocato, *an Theologia Mystica ducat ad ἀποθέωσιν*, ob certam causam futuro Martis die publice habenda. Deinde etiam lectiones publicas, recepto more, habebit super Loc. I. Tim. VI, v. 20. 21. argumento Orationis suae, inferuentes. Cui instituto ut Magnificus Academiae Pro-Rector, Perillustris Comes, Patres Conscripti & Cives Academicci faveant, illudque sua nobis praesentia approbent, omni humanitatis studio, etiam atque etiam precamur. P. P. Domin. XIV. post Trinit.

cl^o I^oCC XVI.

VITEMBERGAE
Ex OFFICINA GERDESIANA.

Th. 1329

ULB Halle
002 422 239

3



VD18

56,

M. C.



